

VERSION 6

TITE LIVE, *Histoire romaine (Ab Vrbe condita libri)*, XXXIX, 51

La mort d'Hannibal

Prusias, roi de Bithynie, a accueilli dans son royaume le célèbre chef de guerre carthaginois Hannibal (247-183), grand ennemi des Romains lors de la Deuxième Guerre punique (218-202). Le général se trouvait auparavant auprès du roi séleucide Antiochus III. Quant à Prusias, il s'est lancé dans une guerre contre le roi Eumène II de Pergame, un allié de Rome.

[51] (1) Ad Prusiam regem legatus T. Quinctius Flamininus uenit, quem suspectum Romanis et receptus post fugam Antiochi Hannibal et bellum aduersus Eumenem motum faciebat. (2) Ibi seu quia a Flaminino inter cetera obiectum Prusiae erat hominem omnium qui uiuerent infestissimum populo Romano apud eum esse, qui patriae suae primum, deinde fractis eius opibus Antiocho regi auctor belli aduersus populum Romanum fuisset, (3) seu quia ipse Prusias, ut gratificaretur praesenti Flaminino Romanisque, per se necandi aut tradendi eius in potestatem consilium cepit, a primo colloquio Flaminini milites extemplo ad domum Hannibalis custodiendam missi sunt. (4) Semper talem exitum uitae suae Hannibal prospexerat animo et Romanorum inexpiabile odium in se cernens et fidei regum nihil sane fretus; Prusiae uero leuitatem etiam expertus erat, Flaminini quoque aduentum uelut fatalem sibi horruerat. (5) Ad omnia undique infesta ut iter semper aliquod praeparatum fugae haberet, septem exitus e domo fecerat et ex iis quosdam occultos ne custodia saepirentur. (6) Sed graue imperium regum nihil inexploratum quod uestigari uolunt efficit. Totius circuitum domus ita custodiis complexi sunt ut nemo inde elabi posset. (7) Hannibal, postquam est nuntiatum milites regios in uestibulo esse, postico quod deuium maxime atque occultissimi exitus erat fugere conatus, (8) ut id quoque occursum militum obsaeptum sensit et omnia circa clausa custodiis dispositis esse, uenenum quod multo ante praeparatum ad talis habebat casus poposcit: (9) « Liberemus, inquit, diuturna cura populum Romanum, quando mortem senis exspectare longum censent. (10) Nec magnam nec memorabilem ex inermi proditoque Flamininus uictoriam feret. Mores quidem populi Romani quantum mutauerint uel hic dies argumento erit. (11) Horum patres Pyrrho regi, hosti armato exercitum in Italia habenti, ut a ueneno caueret praedixerunt; hi legatum consularem qui auctor esset Prusiae per scelus occidendi hospitis miserunt. » (12) Exsecratus deinde in caput regnumque Prusiae et hospitales deos uiolatae ab eo fidei testes inuocans, poculum exhausit. Hic uitae exitus fuit Hannibalis.

(295 mots)